DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
BLEPHAROPHTHALMIA
RECENS NATORUM.

QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.
CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN LITTERARUM UNIVERSITATE JENENSI
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
DIE XXX M. JUNII A. MDCCCXXXVII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS FRIDERICUS DIEMAR
OSTHEMIO - ISENACENSIS.

JENÆ
TYPIS BRANII.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

JO. CHRIST. DIEMAR

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI
AD AULAM OSTHEMIAE

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Si quis ex me quaerat, quid sit, cur ego adhuc tiro in re medica hunc libellum in medicorum forum proferre conatus sim, haec praesto est responsio: leges academicae jubent, ut quisque, qui superato examine rigoroso doctoris gradum summosque in medicina honores ambit, dissertationem de aliqua re medica conscribat atque publice defendat.

Itaque quum per longum tempus in dubitatione haesitarem, quo modo huic mori, jam majoribus sancito, rite satisfacerem, elegi denique *blepharophthalmiam recens natorum describendam*, quippe quam per annum in instituto obstetricio Jenensi saepe observare mihi contigit. Quas igitur ipse et alii protulerunt de hac re sententias hoc libello communicare aggrediar.

An vero his conaminibus Lectores Benevoli — si quis legat — expleverim, in medio relinquam.

Has igitur L. B. literarum primitias, ut aequo animo atque benevolo accipiatis vos etiam atque etiam rogo

Valete.

Autores, qui de Blepharophthalmia recens natorum exposuerunt.

Ophthalmologiae studium, quum saeculo antecedente praeclarorum virorum animos occupare coepisset, haud defuerunt, qui blepharophthalmiam recens natorum observaverint nec non descripserint.

Primus qui hujus morbi mentionem fecit:

Storch, vulgo Pelargus nominandus est, qui 1755 hanc blepharophthalmiam primo observavit — eamque memorat in libro suo de morbis infantum Tom. II. p. 285.

Scherf, mentionem ejus fecit „*im vollständigen Hausarzt*" pag. 311.

James Ware, morbum de quo agimus accuratius describit in libro suo „Remarks on the ophthalmy, psorophthalmy and purulent eyes of nev born children. London 1780. 8."

Mellin, „*Kinderarzt*" *Kempten*, 1781.

Germanorum autem primus, qui accuratius et id quidem ingeniose de hoc morbo expressit

Joan. Chr. Reil nominandus est, in cujus Mem. cl. Vol. I. Fasc. I. p. 106. Halae 1790 hunc morbum descriptum invenimus.

Schaeffer, observationes suas de hoc morbo institutas in „*Salzburg: medic. Zeitung*, *Beilage zu Nr.* 39. 1791. et in libro suo, de infantum morbis conscripto nobis communicat.

Goetz, Dissertatio inaug. de ophthalmia infantum recens natorum Jenae 1791.

Dreyssig, Diss. de Ophthalmia rec. nat. Erford. 1793.

Guttwein, Diss. de Bleph. neon. Frankof., ad Viadr. 1810. 8.

Saunders — John Cunningham A treatise on some practical points relating to the diseases of the eye. London. 1811. 8.

Rust, vide *Salzb. medic. chir. Zeitung* 1813 *Nr.* 63, *pag.* 207.

Jüngken, nunquam lux clara ophthalmiae neonatorum causa occasionalis. Berol. 1817.

John Vetch, A pratical treatise on the diseases of the eye. Lond. 1820.

Metsch, Dissert. de blepharophthalmia blenorrhoica neonat. Berol. 1821.

Theveng, Diss. de blepharoblenorrhoea rec. nat. Berol. 1821.

Heyfelder, *Beobachtungen über die Krankheiten der Neugebornen nach eignen Erfahrungen in den Hospitälern zu Paris. Leipzig* 1825.

Storch, Dissert. de blepharoblen. neon. Berol. 1826.

Merklinghaus, Diss. de blepharobl. neon. Berol. 1826.

Henschel, Diss. de ophthalmia neonat. Berol. 1827.

Seemann, Diss. de Contagio ophthalmiae neon. Berol. 1827.

Ziegler, Diss. de Ophthalmia neonat. Giesae 1828.

Haase, *in der gemeinsamen deutschen Zeitschrift für Geburtskunde etc. herausgegeben von Busch*, *Mende*, *Ritgen*, *Bd. V. Heft* 4. *p.* 637. *Weimar* 1830.

Eisenmann, *die Krankheitsfamilie Pyra (Schleimhautexantheme) I. Bd. Erlangen* 1834.

Elsasser, *in Schmidts Jahrb. der in- und ausländ. ges. Med. Bd. VII. p.* 321. 1835.

Praeterea autem hunc morbum nostrum in fere omnibus libris cum de infantum tum de oculorum morbis conscriptis memoratum invenimus. Ex his, quos *Beer*, *Weller*, *Jüngken*, *Henke*, *Meissner*, *Joerg* scripserunt, libris usus sum.

Blepharophthalmiae recens natorum pathologia.

§. 1.

Omnis organi inflammatio in quadam ejus vi vitali abnorme aucta conspicitur. Quum vero omnes inflammationes in hac natura inter sese conveniunt, sequitur, ut, quid intersit inter singulas, quae occurunt, inflammationes non tam ad earum naturam, quam potius spectet ad formam, quae iterum pendet a varia partium ipsarum inflammatarum natura atque indole; aliter enim, ut hoc exemplum afferam, cernitur inflammatio in tunicis mucosis, aliter in membranis serosis.

Conjunctiva quidem, cum bulbi tum palpebrarum, membranarum potissimum mucosarum naturam aequiparans, quum blepharophthalmia recens natorum affecta sit, tunicae mucosae nec non glandulae ipsius naturam sibi parat, quo factum est, ut blepharophthalmiam recens natorum inflammationibus adnumeremus glandulosis.

Sed quod in his dictis vix adtigi, spero, fore ut ex sequentibus clare atque dilucide intelligi possit.

§. 2.

Morbi Decursus.

Stadium irritationis (*Reil*) Stad. hydorrhoicum (*Jüngken*) Stad. serosum (*Stark*).

Interdum jam paucis horis post partum, interdum post hebdomades sex ad octo praeterlapsas, plerumque vero intra diem tertium et nonum post partum peractum blepharophthalmia recens natorum eo modo exoritur, ut primum unus oculus, isque plerumque dexter, *lucem* paulisper fugiat, quapropter non nisi in locis umbrosis aperitur, ita tamen, ut altero minor tantum esse videatur, in conclavibus vero illustribus plane concluditur.

Externa palpebrarum facies adhuc non mutata est, levissimo rubore atque tumore exceptis, qui vel in superioris vel inferioris, vel utriusque simul palpebrae tarsi margine occurrunt. Sed quod Eisenmann contendit, hanc nimirum rubiginem levem taeniam in media palpebra superiori incipientem radiatim quasi circumfundi, id nec aliis neque mihi ipsi observare licebat.

E rima palpebrarum subinde tenue, aquosum, pellucidum ac multis lacrymis intermixtum profunditur secretum, quod quidem noctu in rima ipsa indurescit atque palpebras conglutinat.

Nobis palpebras caute dimoventibus, earumque superficiem internam conjunctiva vestitam inspicientibus, conjunctiva palpebrarum valde rubicunda, tumida, sed laevis adhuc et mollis et elastica obvia est, dum bulbi adnata normalis adhuc invenitur.

Ex frequentiore pusilli fletu dolores adesse nobis conjicere licet. Ceterum functiones reproductioni inservientes non laesae sunt; febris deest. Hujus stadii spatium vel ad diversam pusilli constitutionem vel ad inflammationis vehementiam inter unum et tres dies variat.

Blepharophthalmia quidem recens natorum, si ab initio alterum tantum invadit oculum plerumque tamen post horas viginti quatuor pergit ad alterum, et quo vehementius Heyfeldero auctore alter oculus nunc afficitur in eo leviore statu nunc versatur oculus ille, qui primo affectus erat inflammatione, ita, ut ophthalmia ab altero oculo ad alterum quasi emigrata videatur, iterum autem quatuor et viginti horis praeterlapsis, blepharophthalmiae symptomata in oculo primum affecto, eo vigore, quo ab initio esurgunt, ita, ut utrumque oculum vel aequaliter morbo laborantem, vel alterum altero semper gravius afflictum observemus.

§. 3.

Stad. blenorrhoicum R. Stad. phlegmatorrhoicum J. Stad. pituitosum *Stark.*

Blepharophthalmia procedente pusilli ita lucifugi fiunt, ut oculos non nisi in tenebris et per brevissimum tantum tempus aperiant: dolores autem, si ex multo infantuli fletu atque ex perpetua inquietudine concludere licet, nunc vehementiores esse videntur.

In externa palpebrarum superficie tumor altior apparet atque rubor intensior, nonnunquam rubicundo — lividus, qui potissimum ab interno oculi angulo atque tarsi margine incipiens, ad orbitam nec non angulum externum quasi ser-

pens imminuitur. E rima palpebrarum crassa, copiosa, flavo-albida, acris, gelatinam, fibrinam atque albumen continens materies profunditur, ita ut Ph. Fr. Walther hac re perductus huic morbo nomen lippitudinem neonatorum, Ad. Schmidt vero blepharoblenorrhoeam neonatorum tribuerint.

Quod quidem secretum in aëris contactu facillime in crustas flavas indurescit, tum vero accumulatur pone palpebras conglutinatas, unde fit, ut palpebrae intumescant, bulbus oculi, inprimis vero cornea a secreti acrimonia corrodatur, obscuretur, nec non destruatur, et genae ipsae, insuper quas mucus ille superfluit, rubescant, immo vero corrodantur. Nonnunquam accidit, ut subito magna sanguinis nigricantis copia ex palpebrarum rima profluat, atque adstantes adeoque medicum ipsum interdum perterreat; sed terror inanis; hanc enim sanguinis emissionem spontaneam magnum symptomatum levamen quasi vestigiis sequitur. Nonnunquam reiterantur hae ophthalmorhagiae, quas ne permisceamus nobis cavendum est, cum fluido quodam aquoso, rubicundo, aquae qua caro abluta est haud dissimili, quod in hujus ophthalmiae fastigio interdum occurrit atque semper — Jüngkenio auctore — oculorum destructionem indicat, quapropter saepe una cum hac materie lens crystallina et corporis vitrei partes emanant.

Internam vero palpebrarum faciem nobis inquirentibus, permagna earum occurrit mutatio: palpebrarum enim conjunctiva vehementer rubicunda, multis vasis sanguiferis intertexta, superficie villosa et holoserica,

neque, ut cum Saundero dicam, infantis ventriculo intus insperso dispari apparet.

Totus pusilli organismus paulatim in sympathiam vocatur; febricula enim excitatur; nutritio perturbata obvia — saepissime diarrhoea. Somnus pusillorum lectulos fugit, et prima quaque redeunte luce, aut symptomatum depravatio invenitur, et morbus in stadium glandulosum transit, aut recedere incipit.

Tempus, quo hoc stadium descriptum perdurat, per plures hebdomades adeoque per plures menses extendi potest.

§. 4.

Stadium akmes. Stad. pyorrhoicum J. Stad. glandulosum St.

Omnia symptomata antea dicta fastigium quasi adscendunt, unde fit, ut oculi continuo clausi sint, palpebrae in hemisphaeriarum modum tumidae, intensae, colore valde rubicundo indutae — interdum liveant; puriformis, crassa, flavo-viridis, corrosiva effundatur materies; et nunc saepissime accidit, ut illud secretum aquosum, loturae carnis instar rubicundum erumpatur, quod eruptum symptomatum quidem levamen, sed una oculi collapsus atque destructio sequuntur.

Febris jam satis flagrans, pulsus frequens celer; ciborum atque potus assumtio fere nulla, quapropter macies, corporis debilitas nec raro mors.

Conjunctiva ipsa et bulbi et palpebrarum enorme tumida, atque rubicunda, ejusque rubor singulis fuscioribus punctulis, quae inter grani milii et grandinis plumbeae magnitudi-

nem variant, quasi conspersus est; quas quidem granulationes, nil impedit, quo minus glandulas ipsas habeamus, quae in membranae mucosae folliculis mucosis jam praeformatae atque ex his, inflammatione exorta, progressae sint. Primum emerguntur in illo palpebrarum loco, quo conjunctiva ad bulbum tendit, subinde vero in tota et palpebrarum et bulbi adnata apparent, unde nascitur ille tumor ingens, qui nonnunquam per vagitum sive tussim infantis, vel per alvum nisu depositam vel per palpebrarum diductionem extrorsum propellitur, unde ektropia nascuntur, aut entropia, si tarsi introrsum versi sunt.

Tumida bulbi adnata corneam in valli modum circumcingit, ita, ut cornea quasi in infundibuli fundo, muco puriformi obducta animadverti nequeat, nisi materies illa removeatur. Quod si factum est, cornea plerumque turgida, nubila neque raro destructa in conspectum venit.

Id vero recens natis peropportune obtingit, quod haec ophthalmia vel plurimis in casibus jam in pituitoso, de quo antea diximus stadio devicta eadem via, qua progressa est, iterum recedat.

§. 5.

Morbi decrementum.

Blepharophthalmia recens natorum vel quum stadia antea descripta percucurrit, vel jam inde a stadio pituitoso, quod saepius obtingit, ad normalem et bulbi et palpebrarum recedit conditionem: tumor enim ille palpebrarum atque rubor, glandulosa deinceps conjunctivae structura pedetentim diminuuntur, primum tamen in cantho oculi externo atque

in bulbi adnata, deinde in palpebrarum conjunctiva atque cantho interno; materies illa puriformis, crassa, flavo-viridis tenuior fit atque albida, neque muco vero dissimilis; sed pusilli lucis impatientia atque lacrymarum fluxus conjunctim adhuc per aliquod tempus perdurant, ita ut oculi horis matutinis conglutinati conspiciantur.

Sanitas autem perfecta pusillis tum demum obtingit, si illa secretio profusa ad normam redacta, omnisque lucis fuga, prorsus diffusa est.

Tempus, quo hic morbus decurrit plerumque ad quatuor usque sex hebdomades, interdum vero in plures menses extenditur.

§. 6.

Persaepe tamen accidit, ut blepharophthalmia rec. nat. haud recta via, qua ingressa est ad normam iterum recedat, quum e contrario per aliquod tempus in stadio, quo nunc versatur, perseveret; unde fit, ut morbus chronicus nascatur; aut vel corneae vel totius bulbi corruptione atque destructione terminetur; aut infantuli ipsius morte finiatur. Quos quidem exitus nunc accuratius describere conabor.

Quod si morbus noster chronico incedit decursu, distinguendum est, utrum in stadio glanduloso, an in stadio pituitoso, an seroso subsistat.

Si in stadio glanduloso quiescit, oculi pusillorum manent lucifugi, conjunctiva flacca atque laxa, parum rubicunda, sed acinis quasi conspersa apparet; papillae ipsae luxuriari incipiunt, complanantur, atque conjunctivae faciem parant sarcomatosam; tumor inde palpe-

brarum saepenumero ingens nascitur, quo facillime fit, ut palpebris extrorsum propulsis, ektropia perpetua gignantur. Oculis mucus flavo-albidus continuo exstillat.

Si autem in stadio pituitoso persistit, illa conjunctivae conditio holoserica atque villosa antea laudata, una cum copiosiore perdurat muci secretione.

Aeque quum in stadio seroso versatur, illa potissimum materiae tenuis, aquosae atque blandae secretio saepissime in multas hebdomades extenditur, atque lucis impatientia perdurat.

Si autem blepharophthalmia rec. nat. tanta vi atque extensione incedit, ut non solum tunicam palpebrarum sed etiam bulbi adnatam infestet, tum persaepe fit, ut variae et corneae et oculi ipsius interni laesiones nascantur. Mucus enim puriformis, qui in morbi fastigio secernitur, tali acrimonia instructus est, ut saepissime corneam atque palpebrarum paginam externam corrodat — unde fiunt *corneae maculae*, *obscurationes* nec non *phlyktenulae ipsae* si quidem cornea sive aliqua tantum ex parte, sive tota superficie ita offendatur, ut turbida atque opaca conspiciatur, vel si externa ejus lamina aliqua ex parte destruitur, quod eo facilius fit, quo magis bulbi ipsa adnata hac ophthalmia laborat.

Corneae staphylomata nascuntur, si cornea, inflammatione in ipsa exorta, intumescit, obscuratur atque, quum humor aqueus copiosius secernatur, contra normam extrinsecus prominet.

Keratocele autem gignitur, si, externis corneae lamellis destructis tunica humoris aquei

propria in sacculi modum, qui iridis partem continet, prolabitur.

Staphyloma racemosum, si iris ex cornea ulceribus destructa prolabitur, atque cum illa concrescit.

Aeque *Synechia*, *Synizesis* atque *Cataracta centralis* haud raro occurrunt.

§. 7.

Morborum quidem, qui saepissime cum blepharophthalmia rec. nat. complicati conspiciuntur, primum *icterum* dico, deinde *aphthas*, tum *enteritidem*, denique vero *syphilidem*.

§. 8.

Aetiologia.

De blepharophthalmia recens natorum pervariae nec non diversae propositae sunt sententiae.

Alii enim lucem intensiorem nec non aërem frigidum, humidum, mephiticum, cum vaporibus atque variis exhalationibus repletum causam habent occasionalem. Eisenmann carbonicum, mephiticum, cum hydrocarbonio atque peculiari miasmate animali (*Thierdunstmiasma*) refertum et per varia effluvia contaminatum aërem nominat, ejusque electricitatem, quodam modo commutatam non omittit; blepharophthalmiae vero recens natorum genesin eo demonstrare suscipit, quod illud miasma per organa respirationi inservientia in pusilli sanguinem transire, ibique universam tunicarum mucosarum aegrotandi dispositionem (*Pyrenanlage*) gignere contendit; quae quidem dispositio simulac primum externae res obnoxiae, illi respondentes, pusillum offen-

dunt, in morbum ipsum transit, qui in intestinorum membrana mucosa enteropyra; ophthalmopyra autem in oculi conjunctiva nominatur.

Alii cosmicas, quae vocantur, vires ad hanc blepharophthalmiam provocandam multum valere contendunt; Heyfelder v. g. narrat, se Parisiis paullo post tempestates nonnullas vehementeset pusillos blepharophthalmia laborantes, gravius aegrotantes, et eos, qui incolumi adhuc gaudebant sanitate, magnam ad partem hunc in morbum delabentes vidisse; cum eo consentiunt Schindler, Meissner, Henke aliique scriptores.

Alii alias res modo mechanicâ modo chemicâ modo dynamicâ ratione oculos irritantes causas afferunt occasionales, v. gr. pulverem ex lectorum pulvinaribus excitatum, fumum, aquam turbulentam quae ad oculos purificandos adhibetur, pilos etc.

Alii, nec non viri ingeniosissimi, blepharophthalmiam recens natorum semper per contagium syphiliticum excitari volunt, idem, quod alii e contrario negant.

Alii deinceps majorem infantulorum proclivitatem ad hanc blepharophthalmiam commemorant; Walther e. gr. bigeminos trigeminosque natos maxime ad illam propensos contendit; Rust e contrario se infantulos robustissimos saepissime hoc morbo laborantes vidisse narrat.

His allatis sententiis Klugii denique dictum superest, quod quidem minus refutandum quam potius admirandum nobis videtur; Klug enim blepharophthalmiae recens natorum causam proximam ex vesicula, palpebrae ad-

jacente, derivat, qua resecata vim morbi fractam esse dicit.

Nunc autem restat, quod ipse sentio de hac re, ut proponam.

Blepharophthalmiam recens natorum in ipsa infantulorum evolutione positam esse nobis persuasum est. Quod dictum ut comprobem, liceat fusius disseram.

Blepharophthalmia recens natorum occupat conjunctivam, quippe quae tunicam oculi mucosam aequiparat. Illud autem tunicarum, quod dicunt, mucosarum systema ante partum nondum viget; organa enim ipsa, quae illae obducunt, e. gr. organa respirationis, tractus intestinorum, genitalia, sensus quasi somno tenentur; partu demum peracto pulmones respirare incipiunt, esurgit tractus intestinorum, expergefiunt sensus, ut uno complectar verbo, omnia organa membranis mucosis obducta vigere incipiunt, unde secundum universalis pathologiae principia fit, ut totum membranarum mucosarum systema in universali majore aegrotandi dispositione versari. His ad universalem tunicarum mucosarum aegrotandi dispositionem demonstrandam allatis, nunc, quo pacto major ejus ad blepharophthalmiam ipsam proclivitas efficiatur probare suscipiam.

Partu enim perfecto pulmonum respiratio persaepe vitiosa est, ita, ut alia eaque organa secretoria, vicaria vel potius respirationem juvantia esurgant. Primum in his organis vicariis locum obtinet hepar, quippe quod jam in vita, quam foetus degit, respirationi inservit; secundum tunicae mucosae; quarum vero respiratio vicaria, quum in eo potissimum cer-

natur, quod mucum et copiosiorem, crassiorem et plus carbonii continentem emittunt, unâ cum hac functione adaucta earum quoque vita abnorme augetur et tum illa oritur dispositio, ex qua in pusillorum conjunctiva blepharophthalmia excitari potest.

Dispositio autem, causâ, quae illi respondet, occasionali absente, haud magis transit in morbum, quam causa occasionalis morbum excitat, si dispositio abest.

Quae quum ita sint, facile intelligitur, quapropter hic morbus noster quamvis dispositio adsit, raro tamen neque fere usquam exoriatur, quam in pauperum tabernis atque in nosocomiis aliisque institutis, quibus saepenumero multi recens nati una cum matribus in uno conclavi comportantur, et omnino res omnes obnoxiae, quarum jam antea mentionem feci, impedite atque immo vehementer pusillis damnum inferre possunt. Omnium autem externarum rerum obnoxiarum aëri humido, mephitico nec non refrigerationibus pusillis illatis maximum in hac blepharophthalmia progignenda momentum tribuo.

Peculiarem aëris conditionem in hac ophthalmia provocanda ejusque decursu ingravescendo permultum valere, inter omnes constat; qualis autem sit haec conditio in medio adhuc relictum est.

Denique vero hoc loco afferendum est, mucum illum, quem oculus blepharophthalmia affectus emittit, contagii vi instructum, in aliis infantulis hunc morbum excitare posse, simulac primum inter sese quodam modo in contactum veniunt.

Res historicae et geographicae.

§. 9.

In terris praesertim septentrionalibus et Europae, et, quod verisimile est Americae blepharophthalmia recens natorum saepissime occurrit: quumque prae ceteris illae regiones, quae maribus adjacent, eam adjuvent, patet, qua de causa haec ophthalmia in Anglia tam saepe nascatur.

Ne dicam de primis hujus morbi originibus, quod quidem libelli, qui in manibus est, fines multo superaret, liceat, ut perpauca tantum ad blepharophthalmiae recens natorum historiam spectantia proponam. Nos respicientes, ubi quandoque blepharophthalmia rec. nator. maxime apparuerit, fugere nequit, majorem ejus frequentiam potissimum nosocomiis atque parvulorum expositorum hospitiis exstructis respondere, a quo inde tempore sedem atque domicilium his in aedificiis quasi collocavit magnoque vehementia incessit.

Praeterea autem ille nexus non omittendus est, quem inter organismum et aëris constitutionem seu endemicam seu epidemicam observare licet. Quum quidem decennio, quod antecessit, aëris constitutio epidemica characterem rheumatico catarrhalem prae se ferret, unde factum est, ut potissimum tunicarum mucosarum inflammationes excitarentur, hac ipsa re intelligitur, qua de causa in novissimis temporibus haec ophthalmia crebrius provocata sit.

§. 10.

Prognosis.

Nobis de blepharophthalmiae rec. nator. exitu aliquid statuentibus:

1) causae et praedisponentes et occasionales sunt respiciendae; si enim illis praesentibus hae agunt neque removeri possunt, hic morbus plerumque magna vi incedit, neque raro accidit, ut quaelibet curatio frustra instituatur; et propterea prognosis nihil fausti nos exspectare sinit.

2) Stadium, quo nunc morbus versatur diligenter inquirendum; secunda enim prognosis obtingit in ejus primordio, dubia, immo vero adversa in stadio pituitoso atque glanduloso.

3) Nobis videndum est utrum morbus simpliciter incedat an complicate, simplex decursus in universum meliorem reddit prognosin quam complicatus; complicationes cum syphilide, cum aphthis, cum enteritide plus minus periculi parant, complicatio vero cum ictero plerumque sine detrimento occurrit.

Blepharophthalmiae recens natorum Therapia.

A. Curatio causalis.

§. 11.

Illa major tunicarum mucosarum aegrotandi dispositio quam in aetiologia memoravi, medicum adhortari debet, ut omni, qua fieri potest, diligentia omnes externas res obnoxias a pusillis cautissime arcere studeat, ne morbus ipse excitetur.

Primum igitur jam inter partum, aut paullo post partum perfectum, quum pusilli lotio adhibetur, quaeque infantuli refrigeratio diligentissime evitanda est. Aqua ad lavandum purissima sit oportet, ne oculos irritet, purificatio eorum ipsa

cautissime ac levissime perficiatur; ut uno verbo complectar, omnia sunt removenda atque arcenda, quae ullo modo oculos irritare aut perturbare possint. Eo consilio lux nimis clara a cubiculis, in quibus infantuli comportantur, depellenda est; hunc finem opportunissime eo adipiscimur, ut umbraculum ante pusilli lectulum ponamus; non vero conveniens esset, si illam potissimum lectuli partem, in qua infantuli caput jacet, pannis circumcingeremus, quoniam aëris recentis aditum a pusillis intercluderemus ejusque respirationi inserviendi opportunitatem diminueremus; inumbrationem vero majorem redderemus atque etiam temperationem calidiorem; quo fieret, ut luminis quaeque et umbrae vicissitudo majus afferret incommodum, atque refrigeratio eo facilius efficeretur.

Si acciderit, ut plures puerperae in uno coactae sint cubiculo, tum eo cautius curare debemus, ne lochiorum fluxu aliisque exhalationibus aër contaminetur et quasi inficiatur.

Hunc in finem suffitiones ex calcaria chlorinica parata adhiberi possunt. Quae ut perficiantur, in puerperarum cubiculis calcariae chlorinicae particulae in aeneis discis collocantur, quo fit, ut quodcunque miasma et contagium ipsum, si morbus jam adest, maxima ex parte exstinguatur.

Alii praeter has suffitiones, infantulorum quoque oculos tenuissima calcariae chlorinicae solutione purificandos curant, v. g. Guthrie, Varlez, Herzberg. Haase Dresdae hoc consilio calc. chlor. Scrup. unum in Aq. dest. ℥j solvit, quacum solutione non solum illorum pusillorum

oculos, qui adhuc incolumi gaudebant sanitate, sed etiam illorum qui blepharophthalmia jam affecti erant lavari curavit; atque in hac agendi ratione positam esse causam putat, quod hic morbus plures per annos Dresdae omnino non ortus sit.

Quos quidem suffitus ex calcaria chlor. paratos etiam in nosocomio, quod Jenae floret, felicissimo eventu adhibitos observare licuit; lotiones autem, quas antea laudavi, Elsaessero consentiente, ad illos tantum casus restringere mallem, in quibus pusilli ex matribus aut gonorrhoea acri, aut syphilide ipsa laborantibus nascuntur, quum quidem negari non possit, lotionem, cum calcariae chlor. solutione institutam, infantulorum oculos plus minus irritare.

§. 12.

Illa autem tunicarum mucosarum *in blenorhoeas incidendi dispositio*, quae nititur respiratione pusilli imperfecta, eo oppugnanda est, ut vel respirationem ipsam pulmonalem omni, quo fieri potest, studio ad normam revocemus, vel alia organa respirationem adjuvantia quasi stimulemus atque excitemus.

Consilio primo atque fini ut respondeamus, omnia, quae ullo modo respirationem pulmonalem coërcere possit, removeamus necesse est, qua de causa confestim partu peracto cavum oris a muco illic collecto atque respirationem impediente, purificandum est; deinde medico curandum, ne involucra arctiora et densiora pusilli thoracem comprimant, denique vero ut aër respirationi opportunus adsit, nobis videndum est.

Secundo autem consilio ut satisfaciamus, variam ingredimur viam:

a) cutis externae functionem adaugemus; hunc in finem balnea calida ex furfuris tritici decocto seu aqua mera parata semel vel pluries in diem per decem minutas adhibemus, quo fit, ut cutis functio excitetur et foetus sensim sensimque naturam quasi animantis aquatici cum illa terrestris commutet vita.

b) tunicam mucosam tractus intestinorum ad vegetiorem vitam perducimus, atque glandulos intestinales ad functionem auctam compellimus, quod quidem propositum eo aptissime adipiscimur, ut laxantia lenia adhibeamus; atque his in remediis Mercur. dulcis primum obtinet locum; alterum vegetabilia purgantia ex. gr. Rheum. Jalappa, Fol. Sennae etc.

B. Curatio radicalis.

§. 13.

Stad. serosum.

Summum curationis radicalis principium est, inflammationem in ipsis primordiis supprimere atque, ne altius procedat, cohibere.

Quem ut tuto consequamur scopum, varia nobis terenda est via.

Primum enim calorem organicum, qui, inflammatione exorta, abnorme auctus apparet, coërceamus oportet.

Hunc in finem, fomentationes frigidas ex aqua fontana paratas palpebris inflammatione vexatis secundissimo eventu applicare possumus, ut Heyfelder, Jüngken, alii observarunt; attamen necesse est, ut

tam diu et tam fortiter rëiterentur, dum omnia inflammationis symptomata cessarunt, atque pusilli oculos iterum aperire possint.

Quamquam autem hae fomentationes primo blepharophthalmiae recens natorum exordio rite adhibitae maximum offerunt fructum, tamen negari non potest, quin facillime magnum incommodum pusillis inferre possint, si incaute atque inprovide adhibeantur; si enim frigus per brevius temporis spatium parti cuidam inflammatae applicas inflammationem non solum non frangis, sed eo, ut reactionem organicam excites, inflammationem ipsam adauges; idem fit, si inflammatio frigore adhibito omnino non coërceri nequit, atque illa majori vi atque intensitate incedere pergit; quam ob rem hae fomentationes statim omittendae sunt, simulac primum blepharophthalmia rec. nat. in stadium pituitosum et immo vero jam in glandulosum transit. Quas autem fomentationes frigidas nimis diu continuatas persaepe sequitur major vitae debilitas, vis vitalis ad minimum quasi redigitur, quo fieri potest, ut oculus deleatur. Ex his igitur dictis apparet, fomentationes supra laudatas, potissimum in primo blepharophthalmiae stadio caute adhibitas, magnum praebere commodum. Quae vero fomentationes, si inflammationi frangendae non sufficiant, necesse est, ut sanguinis ipsius emissionem localem instituamus, quem in finem unam hirudinem in angulo oculi interno ponimus, aut Tortualo auctore in septo narium, aut ad tempora aut pone aures applicamus; si haec iterum remota est, sanguinis fluxum ex vulnere ab illa puncto,

tam diu alimus, donec inflammationis relaxatio in conspectum venit.

Angli v. gr. Saunders, quorum medicina in universum audaciae prae se fert speciem, decem et plures hirudines palpebris admovent, et sanguinis fluxum his excitatum tam diu sustentant, quam infantulus pallescit; deinde remedia adstringentia oculis imponunt. In Germania autem, qua alia coeli temperies aliaque corporis conditio aliam procreavit medicinam, talis fortis atque copiosa sanguinis emissio non solum non necessaria, sed etiam perniciosa nobis videtur. Praeter hanc curationem localem *Lavamenta illa universalia* antea laudata magnum praebent commodum, praesertim si blepharophthalmia refrigeratione excitata est. Sed diligentissime cavendum est, ne pusilli iterum perfrigescant.

Praeter hanc curationem externam remedia laxantia laudantur, in his potissimum Hydrargyr. muriat. mite; Magnesia carbonica, Rad. Jalappae atque Rheum usitata sunt, atque a diversis in diversis adhibentur compositionibus, ita tamen, ut e. gr. Mercur. dulc. Gr. j, omni bihorio, detur.

Quamvis autem hoc in stadio oculi adhuc blanda materie exstillant, tamen magna diligentia atque cautione purificandi sunt: quod ut perficiamus aquam tepidam aut meram aut cum lacte intermixtam, aut lac ipsum ex matris mama in infantuli oculum injiciamus necesse est. *Wendt* hunc in finem Infuso flor. malvae seu verbasci seu Aqua rosarum seu Aqua flor. tiliae usus est.

Joerg, qui materni lactis instillationem

perniciosam esse putat, quippe quod facillime acidum fiat et idcirco palpebras corrodat, Infus. Serpylli laudat. *Meissner* collyria ex Sem. Cydonior. Dr. j cum Aq. rosar. s. foeniculi Dr. jjj parata tepide adhibet.

§. 14.

Stad. pituitosum.

Quo in stadio quum blepharophthalmia rec. nator. majore ingrediatur vi atque vehementia, atque cum una cum structura conjunctivae villosa atque holoserica non solum copiosior, sed etiam acrior excitetur materies, saepissime nos curationem symptomaticam illi radicali praemittamus necesse est. Si igitur illa materies supra laudata magna copia profluit, palpebrasque conglutinat, tum oculi maxima diligentia atque moderatione per dies ac noctes vel per instillationes vel per injectiones ipsas syringis ope purificandi sunt. Jüngkenio auctore, syringis brevis canale interno oculi cantho applicato, fluidum caute injicitur. Oculus tum frequentius abstergatur spongia molli. Si enim materiae illi acri apertum exitum non comparamus, inflammationem ipsam adauget, aggreditur facillime corneam; palpebras vero genasque excoriat, si profluit.

Si magni dolores adsint, his instillationibus tenuia narcoticorum infusa addere possumus, e. gr. infus. folior. hyosciami seu belladonnae.

Curatio autem radicalis nunc majore vi atque gravitate instituenda est. Quum inflammatio topica sit, nunc maximam afferunt utilitatem sanguinis emissiones topicae; cuicunque igitur oculo plures hirudines interdum iterum atque iterum applicandae sunt, donec

denique inflammationis symptomata leniantur.

Sanguinis emissione locali instituta, externe unguentum hydrargyri cinereum adhibere possumus, quippe quod curationem antiphlogisticam adjuvat.

Jüngkenio auctore inde ad Scrup. unum semel per diem palpebris infricamus. Praeterea per *antagonismum* morbum oppugnare possumus; quod ut perficeret, Elsaesser in galea aponeurotica, unguento cantharidum adhibito, ulcus artificiosum excitavit ejusque magnam laudat utilitatem. Alii alia derivantia commendabant, v. gr. synapismos ad crura, emplastr. cantharid. pone aures, ad nucham etc.

In remediis vero antiphlogisticis interne adhibitis Calomel inprimis adhibendum est.

Si per curationem sic institutam obtingat, ut blepharophthalmia fracta sit, tum caute metallica remedia externe oculis applicare possumus, quippe quae excitando systemate vegetativo contractione provocata illum statum conjunctivae coërcent, qui inflammatione effectus erat.

§. 15.

Stad. glandulosum.

Blepharophthalmia rec. nator. quum in hoc stadio maxima, qua potest vi atque pertinacia incedat, medico cordi esse debet, ut conjunctivae vitam ad fastigium quasi elatam coërceat, deprimat atque in vitam minimam comminuat. Quod ut expleamus propositum nunc validiores topicae sanguinis emissiones instituendae sunt, vel per hirudines palpebris adpositas, vel per scarificationes conjunctivae

immissas; neque si conjunctiva corneam in valli modum circumcingit ac valde prominet, non necesse est, ut eam aliqua ex parte resecemus. Sanguinis fluxum, hisce operationibus effectum, mox omnium symptomatum diminutio sequitur.

Ceterum admonere liceat, quamcunque fere curationem inutilem esse, simulac primum blepharophthalmia tanta gravitate tantaque extensione incedat.

§. 16.

Blepharophthalmia recens natorum, fastigio superato, iterum ad normalem conjunctivae statum recedat necesse est. Quod ut natura quam maxime celerrime perficiat, nunc medico cordi sit.

Propterea medico nunc remedia sunt adhibenda, quae vel contractione augenda structuram conjunctivae villosam atque immo glandulosam coërcent, vel quae, si vis conjunctivae vitalis abnorme diminuta sit, illam excitare possunt.

In remediis quidem, quae vi satis adstringenti instructa sunt, praecellunt imprimis metallica, quae diversa a diversis sunt adhibita.

Afferam *Zincum sulphuricum* (Gr. j—jj in fluidi ℥j solutione).

Argentum nitricum (Gr. j—jjj ad fluidi ℥j).

Hydrargyr. muriat. corros. (Gr. j in fluidi ℥IV solutione Henke, Jüngkenio auctore Gr. j in fluid. ℥IX—X).

Hydrargyr. oxydat. rubr. ad unguenta opportunissimum (Gr. j—jj adip. Dr. j).

Hydrargyr. ammoniato muriaticum non nisi externe ad unguenta adhibetur (Gr. II—IV ad adip. Dr. j).

Alumen, saepissime in solutione.

Quorum quidem remediorum vim ut adjuvarent, atque majorem oculi sensibilitatem diminuerent, medici saepissime praecipiebant metallica conjunctim cum narcoticis, v. gr. cum Tinct. Opii simplex seu crocata vel cum narcoticis acribus.

Saturnina in hac ophthalmia magna cautione atque providentia adhibenda sunt, quoniam perfacile secretionem celerius reprimunt, neque non corneae obscurationes efficere possunt.

Sed ne fusius dicam, pauca tantum afferam de sequelis.

Si quidem morbus chronico incedit decursu, metallica conjunctim cum Tinct. Opii opportunissime adhibentur; Hydrargyrum praecip. alb. et rubr. maxime proficit, si structura conjunctivae glandulosa subsistit, si holoserica ejus atque villosa perdurat conditio, Hydrarg. oxyd. rubr., Bolus, Tutia etc. prosunt, nonnunquam convenit quoque unguent. citrin. dilutum.

Si blepharophthalmia exulceratione terminatur, vitam cum totius corporis tum oculi excitemus necesse est. Quo consilio calorem aridum una cum aromaticis rebus, cum Camphora etc. adhibemus; tincturam opii vinosam, neque non aquam menthae piperitae oculo instillamus; omnium autem validissime colliquationem oppugnat Extract. Chinae frigide paratum, quod conjunctim cum Aq. Cinnam. s. v. atque Syrupo Cortic. Aurantior. laudant.

Ektropia ut, quantum fieri potest, paullo post originem reponantur necesse est; si enim

jam diutius permanserint, conjunctiva aëre contacta ita commutatur, ut postea repositio fieri non possit. Quod si jam acciderit, prius remediis aptis adhibitis, normalis conjunctivae status restituendus est. Hunc in finem unguentum circiter ex Hydrarg. ammoniato muriat. Gr. IV s. Hydrarg. oxyd. rubr. Gr. jj ad Adip. suillae Dr. j, ad palpebras oblineandas adhibere possumus, nonnunquam vero, si callositas adest, scarificationes atque etiam resecatio partis conjunctivae callosae proficiunt. Sed nunc satis, alii enim alia laudant, et cuicumque medico relictum sit, quid in singula quoque curatione consilio ipsius atque fini maxime respondere ratum atque cognitum habeat.

THESES.

I.

In orienda infantulorum similitudine vel cum parentibus vel cum aliis non nisi matris agit phantasia.

II.

Quaedam sunt morborum specifica.

III.

Lux clara nunquam causa blepharophthalmiae recens notorum occasionalis.

IV.

Febris non semper morbi symptoma, sed nonnunquam morbus idiopathicus occurrit.

V.

Electricitas aëris negativa in provocanda blepharophthalmia recens natorum multum pollere mihi videtur.

VI.

Musica affectionum nervosarum praestans remedium.